

per consensum partium subiectarum; à fumis equidem  
ascendentibus contingit motrices sensibilésque fun-  
ctiones perturbari; sensus equidem fit torpidus, diffici-  
lisque motus, male denique imaginantur.

**S I G N A.** Difficilis fit motus, atque ab aliqua re se in-  
uadi aut opprimi homo credit; aliquid enim suo inside-  
re pectori putat, torpidusque fit in somno sensus, suffo-  
cationisque fit imaginatio, ita ut vocem edere non pos-  
sit etiam si clamare laboret, aut saltem incerta maléque  
discreta editur vox, & aliquando quoque mugit ut  
fuentes. Phantasia ita quoque offenditur, ut subinde spe-  
ctrum seriò adesse existimet, vnde anxietas tandem e-  
tiam concurrit, clamandique desiderium enascitur,  
hincque sanguinem quasi ebullire contingit atque in-  
calescere, sicque spiritibus attenuatis, meatibúsque a-  
pertis, perrupto somno, repente homo excitatur.

**C A U S A.** A crassa frigidaque pituita, necnon à san-  
guine crasso atque melancholico circa præcordia ve-  
násque pectoris existente oritur, vnde vapores crassi e-  
ruuntur; quibus quotiescumque vapores multi crudí  
à crapula enati permiscentur, tunc dictis in locis partes  
diaphragmatis premuntur, nec non pulmonis, vnde im-  
peditè homo respicit, séque suffocari putat; hinc ubi in  
fauces se insinuat, vox supprimi videtur. In cerebrum  
denique si transmittantur, sensum ipsamque mentem  
perturbant tristibus quibusdam spectris. Tales vapores  
aliquando etiam eructant hæmorrhoides mensésque  
suppressi in illis in quibus fluere consueuerunt. Nequa-  
quam autem ab insultante fit vetula, ut multis persua-  
sum est etiam hodie.

**P R O G N O S T I C A.** Incubo diæta vtens tenui vix mo-  
lestatur, multis autem cruditatibus oneratis familiare  
est. Rarius quoque irruit in illos qui in lateri incum-  
bunt. Hic affectus si frequentius diutiusque concurrat,  
apoplexiā tandem minatur, aut epilepsiam, necnon  
maniam, saepius melancholiā hypochondriacam, ver-  
tiginem, paralysim, spasmum, nervorum distensionem,